



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. An Deus possit invincibiliter ignorari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

ARTICVLVS III.

An Deus possit invincibiliter ignorari?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

59. **N**Otandum primò, duplicem solere à Theologis distingui ignorantiam: prima dicitur vincibilis, quæ scilicet adhibitâ morali diligentia, vinci & superari potest: altera vocatur invincibilis, quia nullò studio, vel diligentia vinci aut superari potest. Prima censetur voluntaria, saltem indirectè, ac proinde culpabilis, iuxta illud Propheta, *Noluit intelligere ut bene ageret*: secunda verò est involuntaria, & excusat à peccato, ut in dissertatione Theologica de probabilitate (quam ad calcem Tractatus de moralitate actuum humanorum subjiciemus) contra Wendrochium, aliosque recentiores, ostendimus.

Notandum secundò: non esse necesse quod illa cognitio per quam dicitur superari & vinci ignorantia, sit omnino evidens & demonstrativa, sed sufficere quod sit probabilis, & quod nulla occurrat ratio evidens, quæ ipsius contrarium persuadere possit. Ratio est, quia illa cognitio sufficit ad tollendam ignorantiam invincibilem, quæ potest esse principium operationis practicæ: cognitio autem solum probabilis, vel quæ habetur per relationem, aut instructionem alterius, potest esse principium operationis practicæ, ut constat: Ergo illa sufficit ad tollendam ignorantiam invincibilem. His præmissis.

60. Dico, non posse dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem de existentia Dei, etiam apud homines inultos, & agrestes, ac in sylvis vel montibus enutritos. Est contra Molinam hic art. 1. §. *Ex dictis colligitur*, ubi oppositam sententiam tanquam probabilem amplectitur. Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos, & Valentia hic puncto secundo, dicit in hac veritate omnes orthodoxos debere convenire.

Probatur ergo primò ex Scriptura: dicitur enim Sapiens 13. *Vani sunt homines in quibus non subest scientia Dei*. Et ad Rom. 1. illi qui ignorant Deum, dicuntur inexcusabiles; quod non posset dici, si invincibiliter illum ignorare possent, ut enim loco citato ostendimus, ignorantia invincibilis excusat à peccato, iuxta illud Augustini lib. 3. de libero arbit. cap. 15. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod agnoscis*.

61. Probatur secundò ex SS. Patribus: nam D. Gregorius lib. 17. moral. cap. 3. explicans illud Iob 36. *Omnes homines vident eum*, dicit: *Omnis homo, eo ipso quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum qui se condidit Deum esse*. Item Damascenus lib. 7. orthodoxæ fidei cap. 1. *Notitia (inquit) Dei, omnibus à natura est insita, neque id aliquis ratione utens ignorare potest*. Unde præclare Tertullianus lib. 1. adversus Marcionem, *Prima anime rationalis dos, Dei notitia est*. Et in Apolog. cap. 17. *Summa est delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt*.

Non debent etiam prætermitti præclara Hilarij verba II. de Trinit. hæc scribentis. *Neque*
Tom. I.

A *mundo ignorabilis effici potest, quem Prophetia volumina consignant, quem temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, quem Apostolorum & Martyrum per virtutum operationes, loquuntur sepulchra, quem potestas nominis sui probat, quem invidi Spiritus profitentur, quem pauciorum Demonum resonant mugitus, quem Gentiles agnoverunt, quem tota natura prædicat, & quem concursus omnium populorum consensus esse testatur. Indus enim (addit Hieronymus) Persa, Epist. 3. Gottus, Aegyptius, Turca, ipsum agnoscunt: ad Nebessorum feritas, & Pellitorum turba populorum, stridorem suum in dulce nominis ejus frigerunt melos, & totius mundi una vox, Deus est.*

B Eandem etiam veritatem eleganter expressit Tullius lib. 1. de natura Deorum, his verbis, *Que gens unquam fuit, vel est, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina, anticipationem quandam Deorum (quam Epicurus appellat ἀπὸ τοῦ θεοῦ) id est anteceptam rationem, & anime præviam rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri nec disputari possit. Quod evidentissime apparet (addit Tertullianus) ex publicis illis vocibus, quas in periculis constituti, vel ab inimicis oppressi, edere solemus: Adsit mihi Deus: O Deum mortalem: Deus videt &c. Quis enim (inquit) eiusmodi eruptiones anime, non putaverit doctrinam esse naturæ, & congenita seu ingenta conscientia tacita commissa? Certè prior anima quam littera, & prior sermo quam liber, prior sensus quam stylus, & prior homo ipse, quam Philosophus & Poëta. Nunquid ergo credendum est, ante litteraturam, & divulgationem eius, multos absque huiusmodi pronuntiationibus vixisse homines? Et unde hæc didicit anima? certè non à Philosophia, non à litteris, vel scripturis, nec à disciplina: hæc enim pronuntiat, nondum scholis formata, simplex, rudis, impolita, idiotica, de compito, de textrino rota: Hæc à natura didicit, magistra naturæ, anima discipula.*

D Denique eadem veritas ratione suaderi potest, primò quia, ut communiter docent Theologi, præcepta legis naturæ non possunt invincibiliter ignorari: Ergo neque Deus, cum ille sit author & finis talium præceptorum.

Secundò, si homo inculpabiliter posset ignorare Deum verum, posset etiam inculpabiliter adorare Deum falsum, & ita posset, ex ignorantia invincibili, excusari à peccato Idololatriæ, quod est absurdissimum.

Tertiò, si homo invincibiliter ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale: Sed hoc est absurdum: Ergo & illud. Probatur sequela Majoris: malitia peccati mortalis, petitur ex injuriâ Dei: Sed Deus non potest injuriâ affici, nisi cognoscatur: Ergo si homo ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale.

E Addunt alij, puerum in primo instanti usûs rationis, teneri se convertere in Deum: unde cum Deus non deficiat in necessariis, semper providet homini de mediis necessariis, ad hoc ut in illo primo instanti, veniat in ejus cognitionem: ita ut si eum non agnoscat, hoc sit ex ejus culpa, & negligentia, & quia divinæ illustrationi præbuit impedimentum.

Verùm hæc ratio solum probat, hominem in primo instanti usûs rationis, debere cognoscere Deum implicite, sub confusa quadam ratione, prout scilicet continetur sub ratione boni honesti: quia (ut supra annotavimus, & suo loco

ostendimus) pner perveniens ad usum rationis, non tenetur se convertere ad Deum explicitè, & ut cognitum ut talem, sed confusè tantùm & implicitè, quatenus scilicet continetur sub ratione beatitudinis, vel finis ultimi honesti, nisi in illo primo instanti, tanta detur ei illuminatio à Deo, quod etiam ipsum in particulari, & distinctè cognoscat.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

63. **O**bjicies primò: quæ sunt fidei, possunt invincibiliter ignorari, possunt enim dari infideles negativè, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 1. Sed Deum esse pertinet ad fidem, juxta illud Apostoli ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum; oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator est.* Ergo hæc veritas potest invincibiliter ignorari.

Respondeo negando Minorem: ut enim supra annotavimus ex D. Thoma hic art. 2. ad 1. existentia Dei, cum possit evidenter cognosci, & ratione naturali demonstrari, per se non pertinet ad fidem, sed solum per accidens, & respectu illorum qui evidentem non habent de illa notitiam. Unde hæc veritas, ut ibidem dicit S. Doctor, magis est præambulum ad fidem, quam articulus fidei, *Fides enim (inquit) præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam.*

Ad locum Apostoli dicendum est, quod D. Paulus loquitur de Deo, ut est author supernaturalis, & remunerator in tali ordine, non autem de Deo ut authore naturæ. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 7. Vel quod hæc verba Apostoli verificantur in illis, qui non habent evidentem demonstrationem de existentia Dei.

64. **O**bjicies secundò: cognitio Dei non est nobis immediatè à natura insita, sicut notitia primorum principiorum (ut supra ostendimus) sed habetur solum per ratiocinationem & discursum: Ergo cum multi sint homines inculti & agrestes, qui sunt incapaces demonstrationis & discursus, in illis saltem dari potest ignorantia invincibilis de existentia Dei. Unde dicit Molina, quod ex multorum relatione audivit, Brasilia incolas, nullum coluisse Deum, antequam à Lusitanis edocerentur.

Respondeo concesso Antecedente, negando consequentiam: ut enim supra annotavimus, ad tollendam ignorantiam invincibilem, non est necessaria cognitio evidens & demonstrativa, sed sufficit probabilis & conjecturalis, vel quæ habetur per relationem, aut instructionem aliorum; quare ut ignorantia Dei non sit invincibilis & inculpabilis, satis est quod homini incidat aliqua cogitatio & cognitio probabilis, quod in hoc universo ita perfectè disposito, sit supremus aliquis gubernator cui sit parendum, sequendo bonum honestum & dictamen rationis, qualiscumque tandem ille sit; hoc enim ipso tenetur inquirere quis sit ille, & quæ ratione colendus? si id spernat, non habebit ignorantiam invincibilem, sed vincibilem: ut si quis extraneum regnum ingressus, nesciat certò, an & qui sit Princeps qui illud regit & moderatur, si quid in ipsum committat, sine dubio reus erit læsæ Majestatis. Unde ad illud quod addit Molina de Brasilia incolas, dicendum est, ex hoc non probari quod illa ignorantia non fuerit culpabilis & vincibilis, quia illis non defuere media ad illam vincendam, cum solò intellectus & rationis luminè potuerint Deum

A ex creaturis cognoscere: *Invisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c.*

ARTICULVS IV.

Polytheismus sive Idololatria expugnatur, & Summi Numinis unitas multipliciter demonstratur.

Post debellatum Atheismum, superest ut etiam Polytheismum & Idololatriam expugnemus, & pluralitatem Deorum demonstremus impossibilem, contra Gentiles & Paganos, quorum tanta fuit cæcitas & dementia, ut innumerablem planè Deorum multitudinem adoraverint. Nam ut dicit Eusebius lib. 5. præparationis Evangelicæ cap. 15. *Triginta Deorum millia in terra esse censuit Hesiodus.* Et D. Augustinus lib. 4. de civit. Dei cap. 8. *Quomodo (inquit) possint uno loco libri hujus commemorari omnia nomina Deorum aut Dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere poterunt, singulis rebus propria dispartientes officia numinum?* Segetes, ait, non uni soli commendabant Deo, sed duodecim, quos ibi commemorat, & subdit: *Vnusquisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit: Tres Deos isti posuerunt, forculum foribus, gardeam cardini, limentum limini.*

Denique tanta fuit cæcæ gentilitatis vanitas, ut ad hominum arbitria, divinitas aut concederetur, aut negaretur. Unde Tertullianus in Apologetico cap. 5. *Apud vos (loquitur ad Romanos) de humano arbitratu divinitas pensatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: Hominem Deo propitius esse debet. Cæterum licet hic gentilitatis error, vel potius cæcitas, Evangelio Christi coruscante, penitus contrita fuerit: juxta Isaia prædictionem. Eleverit Dominus solus in illa die, & Idola penitus conterentur, fuerunt tamen nonnulli hæretici, plures Deos inducentes: nam Manichæi, Cerdoniani, & Gnostici, duos Deos, unum bonum, & alterum malum esse dixerunt. Item Marcion, quem Tertullianus, *Murum Ponticum qui Evangelia corripit*, appellat, duos Deos affert, *tamquam duas (inquit) Symplegadas naufragij sui.* Denique Valentinianus illis antiquior, non solum duo summa principia, ut isti: *sed his liberalior (inquit) idem Tertullianus) usque ad triginta Aeonum factus, examen divinitatis effudit.**

Contra hanc Gentilium & Hæreticorum cæcitatem, plures Sanctorum Patrum generosè decertarunt. Iustinus Martyr, Aristides, Athanasius contra Idola, Augustinus contra Faustum, & in libris de civitate, Cyprianus libro de Idolorum vanitate, alijque Patres, probantes etiam contra Manichæos, non esse duo prima principia, & contra Tritheitas, tres personas Trinitatis non esse tres Deos. Sed inter omnes felicis Tertullianus in Apologetico, in quo, ut fatetur Lactantius, *Hanc causam videtur planè perorasse.* Et sanctus Hieronymus: *Apologeticus (inquit) ejus, & adversus gentes libri, cunctam sæculi continent disciplinam.* Scripsit etiam idem Author adversus Marcionem, & contra Valentinianos, plures libros, in quibus illorum errorem forti & nervoso stylo confutavit, & pluribus ac efficacissimis rationibus ostendit, quod Polytheismus est Atheismus, & plurium Deorum

65

Cap. 2.

Lib. 1. in Marcionem cap. 5.

66.

Lib. 5. Instructio cap. 4. In Epist. ad Magn.